Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 15
Quelle:
Copyright:

lian. Sec. IX. Scriptor, ut habes *Bibl. PP. Lugd.* T. XIV. p. 35. verum ibi prolixius est Poema, quia Novi etiam Foederis Libros recenset *Theodulphus*, Librarius noster in Veteri stitit. Initium est:

Quiquid ab hebreo stilus atticus atque latinus
Sumpsit, in hoc totum codice lector habes &c.

Parum variat ab Editis Codex. v. 8. *typice* pro *typica.* v. 13. *Naveyus* pro *Navegius.* v. 32. *iezrahel* pro *Gesdrahel.* v. 35. *Quatuor atque tribus* pro *eque tribus. gentem increpat* pro *regna.* v. 46. *Cornibus ut ius est* pro *his vis est.* v. 72. *ad sua rura* pro *regna. Gen.* c. 3. legitur: *Ipsa conteret* &c. *Psalmis* subjunctus est spurius ille: *Pusillus eram* &c. praenotatus: *Hic psalmus in hebreis codicibus non habetur; sed a LXX. interpretibus editus est. et iccirco repudiandus. Machab.* II. c. 12. adest v. ult. *Sancta ergo et salubris est cogitatio* &c. Ad calcem V. T. subjicitur Ἐπιτομὴ Locorum moralium utriusque *Testamenti* ad certos Titulos revocatorum in usum sacrorum Oratorum, quam in aliis *Bibliis* non memini me reperire. Pertinet ea a *fol.* 216. p. 2. ad *fol.* 224. cujus p. 2. *Novum Testamentum* ab *Hieronymi Praeff.* et *Epistola Eusebii Caes. ad Carpianum* orditur. Sequuntur ejus *Canones* splendide picturati. Post IV. *Evangelia* insistunt *Acta Apostolorum* et *Epistolae Canonicae,* ubi I. *Job.* c. 5. Testimonium duplex sic legitur: *Quia tres sunt qui testimonium dant in terra. spiritus. aqua. et sanguis. et tres sunt qui testimonium dant in celo. pater. et filius. et spiritus sanctus. et hi tres unum sunt. Paulinas Epistolas* praecedunt *Canones* seu, ut inscribuntur, *Concordia epistolarum pauli apostoli*; quae, ut forma et splendore *Eusebianos* supra memoratos referat, re tamen magis ad Ἐπιτομὴν pariter supra indicatam accedit. Inter II. *Thessalonic.* et I. *Timoth.* haeret *Epistola ad Laodicenses* absque ullo Praeloquio. Post *Apocalypsin* habes *Interpretationes Nominum Hebr. et Graec.* non tamen in unum corpus alphabeticum, ut alias visuntur, congestas, sed ordine Librorum Biblicorum unam Alphabeti literam post aliam percurrentes. Ita Nomina ab A. incipientia e *Genesi*, *Exodo*, *Numeris* &c. Accedunt in fine *Interpretationes hebraici Alphabeti.* Habet igitur pulcherrimus hic Codex, qui, ut in fronte notatur, emtus est 4. *florenis die XXVIII. Junij M.* CCCCLXXXXIII. a *Joanne Schewerleyn Canonico Vratislauien.* varia, quae illum inter congeneres eximium praestent.

VI. VI cf. 13

Codex membraneus lat. Sec. 13
XIV. Folior. 149. f. max. Est Pars I. magnifici Operis *Bibliorum utriusque Testamenti* ex inter-